





10  
1772, 16.  
QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
**MVTVVM CONTRAHI  
POSSIT INTER IGNO-  
RANTES**

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAE SIDE  
**D. CHRISTIANO HENR. BREVNING**  
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DVSBVRG.  
SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO  
DIE XXII. FEBR. ANNO CICICCLXXII.

DEFENDET  
**IOANNES GOTTOLOB LOTSMANN**  
HOECKENDORF. MISNIC.

---

LIPSIAE  
LITERIS. RVMPFIIS.



CHIESTO  
EPISTOLAE  
MUNIMENTA  
AD CIRCA  
1700  
LEADER  
1700  
D. CHIESTO LIBRARI  
IN ABDOLIO DE  
PESCARIA  
1700  
GOTTSCHE OTTONI



AN  
MVTVVM CONTRAHI POSSIT  
INTER IGNORANTES.

---



§. I.

Negotium, quod ab eo, quod ex *meo tuum* fiat, non etymologia grammatica, sed stoica tantum compellatum est, mutuum videlicet, non ex *romanorum* propriis institutis, sed per humanas necessitates *gentium* institutis origines debet. Neque unquam quisquam probet, mutuum fuisse ciuium romanorum proprium aliquod negotium, quod cum peregrinis contrahi non posset, potius et alias gentes mutui causas habuisse valde probabile est. Humana enim necessitas et indigentia, quae inter omnes homines obuenire solet, causa esse poterat aliis gentium membris, vt, quibus rebus fungibilibus carerent, ab altero vel permutando acquirerent, vel mutuo acciperent. Si vero ad formam respicimus, ad *contractus reales* mutuum refertur, quippe traditione perficitur. Neque obstat opinio CELSI in L. 32. m. de reb. cred. Scribit: *Si me et Titium mutuam penitentiam*



cuniam rogaqueris; et ego meum debitorem tibi promittere iussi-  
rim, tu stipulatus sis, cum putares, eum Titii debitorem esse: an  
mibi obligaris? subfido: siquidem nullum negotium mecum con-  
traxisti. Sed proprius est, ut obligari te existimem: non quia  
pecuniam tibi credidi: (HOC ENIM NISI INTER CONSEN-  
TIENTES FIERI NON POTEST) caet. Quis inde inferret,  
mutuum ad consensualia negotia tantum referri. Nemo  
sane melius, quid haec sibi CELSI verba velint, exposuit,  
quam VLPIANVS in L. 1. §. 3. π. de padis. Ait: Adeo au-  
tem conuentio[n]is nomen generale est, ut eleganter dicat Pedius,  
nullum esse contractum, nullam obligationem, quae non habeat  
in se conuentio[n]em: sive RE, sive VERBIS fiat. Nam et si-  
pulatio, quae verbis fit, nisi habeat consensum, nulla est.

### §. II.

Quae res mutui obiectum sint, dubio caret, quippe  
haec accurate definiuit PAVLVS in L. 2. §. 1. π. de reb. cre-  
dit. Eae enim res tantum mutuo dantur, quae pondere,  
numero et mensura consistunt. Dicunt fungibiles. Ma-  
le vero eas res vulgo fungibiles vocant, quae vsu consu-  
muntur. Tanta enim est omnium prope rerum fragili-  
tas, ut perpetuo vsu atterantur et propemodum consu-  
mantur, ut vix de ipsa re quidquam amplius saluum su-  
persit. Nonne quadrupedes, quae collo dorsoue  
domantur, perpetuo vsu pereunt? Rectius ergo veter-  
es eas dixerunt fungibiles, quarum quantitas pondere, nu-  
mero et mensura emetitur, quaeque in genere functionem  
recipiunt per solutionem, cum aliae res non fungibles in  
specie functionem recipient.

### §. III.

Obligatio vero, quae ex hoc contraetu oritur ex  
PAVLI c. 1. 2. autoritate ea est, ut recepturi simus non ean-  
dem speciem, quam dedimus, sed idem genus; non aliud, ut pro  
tritico

❧      ❧      ❧

tritico vinum. Non itaque solum in pecunia obligatio ad reddendam pecuniam contrahitur, sed eiusdem bonitatis pecunia. Id probat POMPONIVS in L. 3. π. de reb. credit. Cum quid mutuum, inquit, dederimus: et si non canimus, ut aequo bonum nobis redderetur; non licet debitori deteriorem rem, quae ex eodem genere sit, reddere: veluti vinum nouum pro vetero, nam in contrahendo, quod agitur, pro canto habendum est, id autem agi intelligitur, ut eiusdem generis et EADEM BONITATE solvatur, qua datum sit.

§. IV.

Supramonimus, mutui illam esse naturam ut, ex MEO fiat TVVM. Hinc PAVLVS cit. L. 2. §. 4, de reb. credit. adfirmat: *in mutui datione oportere dominum esse dantem*: scil. ut dominium in alterum, qui ad generis tantum restitucionem tenebatur, transiret, qui abuti illo mutuo dato genere poterat. Hinc, in mutuo alienationem interuenire, Pauli autoritas dubitare non sinit. Neque tamen litem a SALMASIO diatr. *mutuum non esse alienationem*, excitatam, nostram efficiamus, quippe decantatam satis atque ab aliis expositam.

§. V.

Cum itaque traditione fieri possit debeatque mutuum a domino, ut rem fungibilem faciat accipientis, atque debitorem obliget ad tantundem restituendum, facile patet, quid de proposita nostra controversia sentendum sit, an videlicet *inter ignorantes contrahi possit mutuum*. Si ad contractus, quatenus conventione constant, naturam respicimus, per quam contrahentium *consensus* requiritur, omnino atque recte negatur, *inter ignorantes contrahi posse obligationem*. Argumentum est apud CELSUM in c. L. 32. π. de reb. cred. quem supra descripsimus. Expresso enim hic ICTUS adserit, *mutuum nisi inter consentientes*

*contrahi non posse.* Imo exemplum quod ipse Celsus adfert, videtur manifesto de ignorantie agere. Debitor enim, a Caio creditoris debitore pecuniam mutuam accipiens, Titii debitorem per errorem habebat, a quo pecuniam accepit, siveque Titio obligatum se habebat erronee, cum Caii debitor esset, ignorans obligabatur Caio, sed negat Celsus, ex pecunia credita, seu mutuo obligationem contractam esse; quod patet ex verbis, *siquidem nullum negotium mecum contraxisti.*

### §. VI.

Quod si verum, quid faciamus cum VLPIANO in L. 9. §. 8. n. de reb. cred. Scribit: *Si nummos meos tuo nomine dedero, velut tuos, absente te et IGNORANTE:* Aristó scribit, *adquiri tibi condicitionem.* Julianus quoque de hoc interrogatus libro decimo scribit, veram esse Aristonis sententiam: *nec dubitari, quin si meam pecuniam tuo nomine voluntate tua, dedero; tibi acquiritur obligatio: cum cottidie credituri, pecuniam mutuam, ab alio poscamus, ut nostro nomine creditor meus et futuro debitori nostro.* Quamvis ultima huius fragmenti verba non absolutam orationem exhibeant, ut itaque critici medicinam parauerint Domitio, tamen haec non vrgeo, qui olim hoc fragmentum vindicauit in Spec. XIII. cap. Iur. contr. c. XLI. p. 113. Hoc saltem moneo Aristonem, Julianum et Vlpianum dissentire a Celso, imo dissentire ab ea regula, quam ex natura supra formauimus. Adfirmant enim, *ignoranti acquiri condicitionem.* Condicio vero praesupponit obligationem; haec ergo inter ignorantibus contracta esse debuit.

### §. VII.

Sed incidit dubium, vtrum de ea condicione locutus sit et Vlpianus, imo ipse Aristó et Julianus, quae ex mutuo venit. Nam si ipsius capitis initia legimus, non de *condicione tantum cerii*

certi ex mutuo loquitur, sed de conditione certi in genere. Pro-  
 bant verba VLPIANI in c. L. 9. pr. et §. 2 et 3. Ait: *Certi Conditio  
 competit ex omni causa ex omni obligatione, ex qua certum peti-  
 tur: siue ex certo contractu petatur, siue ex incerto, licet enim  
 nobis ex omni contraetu certum condicere, dummodo praesens sit  
 obligatio.* Et dein §. 2. Addit: *Siue autem suo nomine quis  
 obligatus sit, siue alieno per hanc actionem (sc. conditionem  
 certi) recte conuenitur.* Dein pergit §. 3. *Quoniam igitur ex  
 omnibus contractibus haec certi conditio competit, siue re fuerit  
 contractus factus, siue verbis, siue coniunctim, referenda sunt no-  
 bis quaedam species. caet.* Concludo itaque Vlpianum hoc  
 capite exempla dedisse, in quibus certum quid condicitur,  
 atque ad credita non ad ipsum mutuum respexisse. Mul-  
 tum enim interest inter creditum et contractum mutui.  
 Ita enim expresse PAVLVS in L. 2. §. 3. π. de reb. cred. distin-  
 guit: Verba sunt: *Creditum ergo a mutuo differt, qua genus  
 a specie.* Auget dubitationem amplius CELSVS in L. 32. π.  
 eod. qui quidem conditionem illius pecuniae, quam igno-  
 rans creditorem debebat, non negat, imo obligationem  
 concedit, quamvis neget inter ignorantes mutuum con-  
 trahi; sed fundamentum conditionis in hoc quaerit, *qua  
 pecunia mea, quae ad te peruenit, eam mihi a te reddi BONVM  
 et AEQVM est.* Si itaque Vlpianus de conditione certi  
 tantum in genere egerit, non de certi ex mutuo, nullus  
 erit cum Celso dissensus, qui consentientes in contrahen-  
 do mutuo videtur requirere, vt negatiua opinio §. V. pro-  
 posita verior videatur.

### §. VIII.

Sed nouam dubitationem deprehendimus apud POM-  
 PONIVM in L. 12. π. de reb. cred. Scribit: *Si a FVRIOSO, cum  
 eum compotem mentis esse putares, pecuniam quasi MVTVAM ac-  
 ceperis, eaque in rem tuam versa fuerit, conditionem furioso ac-  
 quiris*

❧      ❧      ❧

quiri Julianus ait, nam ex quibus causis IGNORANTIBVS nobis actiones acquiruntur, ex hisdem etiam furioso acquiri. Quid ergo furiosus, mutua pecunia data, sibi acquirit actionem, qui tamen ab ipso ICto cum ignorantе comparatur. *Hub. GIPHANIVS in Antinom. Iur. Civ. Disp. XXIV. §. 27, de conditione sine causa Pomponium locutum esse arbitratur eamque dari ex acquo ei bono sicque ex alia figura.* Videamus an recte.

§. IX.

Putat IO. GOEDDAEVUS de reb. cred. C. II. concl. V. §. 106. sqq. et quam c. l. GIPHANIVS excitauerat BORCHOLT de reb. cred. c. II. duplex esse mutuum, *aliud* cum statim ab initio numeratione pecuniae interueniente contrahitur, *aliud* cum ex postfacto consumtione conciliatur. Causam in eo quaerunt quod consumendo bona fide, dominium rerum fungibilium transeat in debitorem, non tam factо dantis, quam ex aequitate propter consumtionem. Sed sane haec ratio mihi non probatur, vt verum mutuum habeam, quod consumendo contrahitur, quippe verus contractus nunquam inter ignorantes, sed semper inter consentientes contrahitur. Quapropter POMPONII c. L. 12. opinio mihi probabilior videtur: scilicet non verum contrahi mutuum, sed quasi mutuum ex comparatione illa Stoica veteribus ICtis maxime propria. Aequitas enim suadebat, vt ignorantibus suo modo succurrerent, quarum res fungibles consumendo alter suas fecerat. Comparabant ergo cum mutuo: atque, cum obligatio certi ex hac comparatione oriretur ad tantundem restitendum, certi conditionem concedebant, quippe quae conditione etiam ex incertis contractibus dari poterat, vt supra ex Vlpiano probauimus. Ea enim est natura negotiorum, quae a comparatione illa Stoica particula QVASI indicantur, vt in facto lex talem ponat obligationem et actionem, qualis ex contractu certo, cum quo comparatur factum, provenire solet.

---

Leipzig, Diss., 1772 A-R




3

f

TA-70L

nur 23. Stck. höher verka.





1772, 16.  
QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
**MVTVVM CONTRAHI  
POSSIT INTER IGNO-  
RANTES**

Q V A M  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
P R A E S I D E  
**D. CHRISTIANO HENR. BREVNING**  
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG,  
S O C I O  
IN AVDITORIO PETRINO  
DIE XXII. FEBR. ANNO CICICCLXXII.  
DEFENDET  
**IOANNES GOTTLLOB LOTSMANN**  
HOECKENDORF. MISNIC.

---

L I P S I A E  
LITERIS. RVMPFIIS.

